



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

quod dictu nefas est, in necem fratris sui taliter gratulatus, ut huic qui eius sanguine cruentatus aduenerat, portionem cum eo habiturus occurreret, vestro eum audiendum collegio delegamus. Data VIII. Kalendas Augustas, Flauis Felice & Tauro v. c. consulibus.

NOTA.

^a *Epistola.*] Narbonensis & Viennensis ecclesiarum in Gallia status turbatus erat. Emerferant enim nouatores quidam, qui in vestitu clericorum nouum usum inducebant, nempe ut incederent palliati, renibusque præcincti, eo quod Dominus in euangelio suos admonuisset, dicens: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucerna, &c.* Hos Cælestinus hac epistola reprehendit, vetuitque ne nouus atque diuersus ab eo, qui hætenus vsui fuisset, habitus clericorum induceretur, sed illum, quem a maioribus accepissent, retinerent, nec a peregrinis clericis peregrinum usum vestium acciperent; quod moribus quam vestimentis sacerdotalem decorem præ se ferre magis præstaret. Eisdem etiam redarguit, quod petentibus in fine vitæ poenitentiam negarent: nec non quod ad sedem episcopalem laicos & criminosos prouexissent, & quemdam Danielem contra ius ad episcopatum promouissent. Baronius anno 428. num. 17.

Narbonensis & Viennensis ecclesiarum status vnde turbatus fuerit?

EPISTOLA III.

CÆLESTINI PAPÆ I.

AD EPISCOPOS APVLIÆ ET CALABRIÆ.

- I. *Quod nulli sacerdotum liceat episcopos ordinare. Canones ignorare.* III. *Quod docendus sit populus, non sequendus.*
 II. *Quod non oporteat, clericis ecclesiarum contemptis, de laicis*

Cælestinus vniuersis episcopis per Apuliam & Calabriam constitutis.

I.

NULLI sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod patrum possit regulis obuiare. Quæ enim a nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur?

Dist. 38. Nulli sacerdotum liceat. Canones clericis cognoscendi.

II.

Audiuimus quasdam propriis destitutas rectoribus ciuitates episcopos sibi velle petere de laicis, tantumque

De laicis non sunt episcopi.

PPP iij